EMINENTISSIMI NOMINIS ET HONORIS DOMINI,

JOHANNIS PRUSS,

Serenissimæ Regiæ Majestatis Poloniæ & Sveciæ

BURGGRABII,

Reipub: Thoruneæ ProConsulis, Judicii Terrest: Nobilit: Palat: Culmens: Adsessoris, Consistorii Ecclesiastici Præsidis, Gymnasii deniqve ProtoScholarchæ & rarissimi Patriæ suæ decoris,

deciduum,

pro eo, ac debent,

Funerali nænia, planctuq; acerbissimo proseqvuntur

tanti Mæcenatis

clientes, nunquam dememores.

THORUNII,

Imprimebat Michael Karnall,

ad diem VII. Octobr. Anno 1660.

PUBLICO CORNELIO SCIPIONE AFRICANO, Conſule Romano, eodemque, rebus, pro Reipublicæ ſalute, præclariſſime geſtis, per omnem terrarum orbem notiſſimo, longeq; celeberrimo, fatis functo, univerſa non ſolum Roma in ſqualidum conjecta fuit mœrorem, ſed &, magnæ fortunæ, magniq; nominis civis, *Quintus Cæcilius Metellus*, objectum hunc immiſſumq; luctum tam vehementer ſibi impreſſit, tamque alte in animum ſuum demiſit, ut, præ nimia ægritudine atq; triſtitia, pene deſipiens, in publicum progreſſus, lamentabili inibi voce, ululatu terribili miſta, proclamaverit: *Concurrite cives, mœnia urbis veſtræ conciderunt*! Ego adoleſcens adhuc, & paupertini ingenii mei mihi conſcius nō ut hunc locum cum ſepticolli Roma, terrarum gentiumque olim Domina Deaque contendere, in animum inducam meum; ſed, quantum virtutis, in humili æque caſa, ac in ſplendidiſſimis baſilicis, ſedem eligentis, laudem concernit; quantum & illuſtre ipſum conſulare officium, in diffuſioribus capacioribusq; urbibus, uberiori quidem prolixitate, in ſtrictioribus vero & contractioribus, non minori prudentia, obeundum, attinet; confido, me, in frequentiſſima funeris PRUSSIANI [at quanti olim viri!] deductione, allegata ſuperius verba adhibere non minus poſſe. Urbi autem unicuique magno *cumprimis* & ſingulari cedit honori, quando muris, aliisque id genus munimentis, probe ſepta conſpicitur;

citur;

citur; unde & eadem, hostilium forte armorum violentia expugnata, contumelia affici grandiori nequit, quam, si ædificia publica privataque, tum & mœnia ipsa, diruantur, excidantur, solo æquentur; imo, ob æterni memoriam reatus, reparari, imperio tantum non MANLIANO, prohibeantur. Pari modo, officium consulare, ratione dignitatis suæ, adeo est præstans, ut, in civili societate, assurgere aliquis nequeat sublimius; prout luculentum rei indicium edit accuratissimus talium censor, Tullius; *Honorum populi*, inquiens, *finis est consulatus:* Et, ingeniosissimus Poëtarum, *Statius*, ita ajens:

--- --- Lucemque a Consule ducit
Omnis honos.

Munerum publicorum alia, consularis dignitatis radijs, illustrantur quasi, & fulgentiora redduntur. Quo etiam nomine, *consulatus fastigium*, in Juris Codice, *excelsæ dignitatis apex, quo nihil altius sit, ac unde virtutes bene meriti comprobentur*, non abs re, salutatur. Ipsa quoque verbi divini oracula honorificam plane consulum faciunt mentionem; &, profecto, non temnendo ijsdem honori vergit, quod ab Ahasvero, regum ævi sui potentissimo, ad lautissimas, quas regni sui primoribus apparaverat, invitati epulas leguntur. *Deinde*, hoc quoque fine, condita sunt mœnia, ut, pone ea, quilibet, eo securius, agere possit & quiescere, utq; possessiones omnium in tuto sint atque salvo. Et, hac

 potissi-

potiſſimum de cauſa, ſacroſancti cenſentur civitatum muri, quos, ſine capitis periculo, conſcendere, nemini integrum eſt; Et, primus Quiritium autor, *Romulus*, *Remum*, germanum unicum ſuum, quocum, præterea, uno eodemque erat partu editus, ſecuri percuſſit, non alia de cauſa, quam, quod, urbis mœnia, temerario auſu, tranſcendere, non dubitaſſet. Modo haut abſimili, cum conſulari ſe res habet dignitate: De hac quippe uſurpari illud non incōvenienter poteſt, quod fortiſſimus Thebanorum Dux, *Epaminondas*, de ſe, olim, monſtratis indice militibus, aſſeruiſſe ſcribitur: *Ego vigilo, ut iſti dormiant*. Unde in eminentia hac conſtituti, *oculi* & *aures civitatis*, nomine, provinciæ partes nervoſius exprimente, inſigniuntur. Et *oculi* quidem ſunt, eo, quod, ex veteri formula, injunctum ipſis eſt, *providere, ne quid reſpublica detrimenti capiat*. Nec injuria, aut præter rem, quaſi *aures* exiſtunt civitatis; ijs namque occurrentia difficilia quævis deponuntur; id quod, inter hodierna turbamenta, non leves gignit magiſtratui moleſtias, cum tamen eidem ſubditi curarum ferme omnium expertes degamus. *Poſtremo*, ad id faciunt mœnia quoque, ut, & inter armorum ſtrepitum, & inter amœna pacis otia, ſicut &, ubi forte innocentior aliquis, nulliuſque noxæ reus peractus, perſecutione premitur, & tantum non opprimitur, citra metum, pone ea deliteſcere, atque intentatam vim quamcunq; propulſare poſſit. Iccirco, cum Henri-

cus Secundus, Imperator Augustus, salutari conjugis suæ, Divæ Cunigundis, instinctu svasuque adductus, sedem episcopalem, Bambergam, ad sempiternum ejusdem patrocinium, officijs quatuor sublimioribus [quomodo Sacrum Romanum imperium, per quatuor Electores Politicos, administratur] instruxisset, publicus passim vagabatur sermo: *Non amplius egere mœnibus Bambergam!* Officijs quippe eminentioribus quatuor, sericum Divæ Cunigundis filum indigitatis, ita oppidum firmatum esse, ut frustra vel numerosissimus exercitus quicquã contra suscepturus, nixurusve esset. Quod itidem ad laudatissimum, nunquam vero abunde, & ex merito, laudandum, officium consulare accommodari potest. Læsus enim à vicino quispiam, sibique, alio pacto, consulere nesciens, ad consulem pergit, consilium expetens atque auxilium, quo fretus, ulteriores adversarij insultus reprimere possit & evadere. Atque hoc modo (ita me Germana fides amet!) munus consulare filum est, quod tot ægri spiritus trahunt; à quo tot hominum temporaria dependet salus, atque incolumitas, eidemque, vinculo plusquam adamantino, annexa est atque alligata. Quando itaque præfecti aliorum non induunt abominandum ingenium turpesque *Metelli* consulis mores, qui quod opem implorantes suam, importunis à se dictis ageret, *reorum scopulus*, probroso sane cognomento, est appellatus: Sed, quando vestigijs Imperatorum mitissimi, *Vespasiani*, insistunt, qui neminem omnium, è conspectu suo, vel suppetiarum exsortem, vel oculos madidum, abire passus est obindeque pretiosum *delitiarum generis humani* nomen tulit: Si, inquam, tales se præstent rerumpublicarum antistites, quales ad nostræ civitatis

 vitatis

vitatis clavum ſedentes, hactenus ſe comparaſſe, grata mente agnoſcimus, pioque ore celebramus, neminem, arbitror, tam iniqvum fore judicem, qui vitio mihi vel minimo vertat, quod, & hic, cum neceſſarijs urbis mœnibus conſulares contulerim faſces. Atq; inter hujusmodi, Senior Conſul noſter, cui nunc imus exequias, ex conſenſu publicaq; omnium confeſſione, agmen facile duxit atq; familiam. Is namq; veluti ſummos, in hac republica, honores, cum laude non vulgari, eſt conſecutus, ita & ſpartam, quam, Dei optimi Maximi nutu, erat nactus, dexteritate ſumma, oculis vigilantibus, inſpectione ſedula, atque æquitatis communicatione, ſine ullo perſonarum reſpectu, exornavit, adeo, ut ingens natalis ſoli ornamentum, vel ab ipſa judicatus ſit invidia; adeo, ut regimen ipſius nemini, niſi malis, damno, commodo vero bonis omnibus fuerit; adeo, ut nemo, de iniquitate unquam conquerendi, anſam habuerit materiemve ullam. Quare mirari deſino, quî factum, quod ad humandas corporis ipſius exuvias, tanta confluxerit, tamque inuſitata, virorum, fœminarum, juvenum, virginum, puerorum, puellarumque multitudo: *Mœnia namque urbis noſtræ conciderunt!* Ampliſſimi curiæ gubernatores, ardentiſſimo cum deſiderio, ſuum comitantur Collegam. Venerandi animarum Paſtores, & Eruditi teneræ juventutis formatores, una cum cœtu ſuo, triſte hoc pietatis humanitatisque officium Patrono ac Evergetæ ſuo prompte impendunt. Aſſeſſores judicij oppidani pariter atque ſuburbani, ſupremum hunc illi habent honorem, quem ſæpenumero acerrimum exiſtimationis ſuæ ſunt experti vindicem: Ego præprimis, hoc, quicquid eſt, defero *Patri meo, Patri Pio,* PATRI BENEFICO, PATRI PATRIÆ. Sed priusquam hoc ſepulchreto cedamus, noſtros, in Ethniciſmo, & primitiva Eccleſia, majores, quod duo ejusdem lumina, atque infallibiles veritatis teſtes,

ſtes, Ambroſius & Auguſtinus, aſſerunt, in ſepeliendis ſuorum corporibus, hunc coluiſſe morem, poſtliminio recordor, ut quisque funus proſecutorum, antequam ad lares ſuos fuerit reverſus, urnam defuncti vel florum inſtratione, vel vini effuſione, vel valedictorijs nonnullis verbis cohoneſtare ſolitus fuerit. Quibusnam forſitan meditationibus confertiſſimus hic medioxumorum, maximorũ, minimorum conventus jam diſſolvatur, & quisque ad ſuæ redeat vocationis munia, ne turpi curioſitatis crimine caput meum adſtringam, inquirere, vel explorare, ſuperſedeo; Facere tamen non poſſum, quin beatiſſimos Præconſulis noſtri manes extremo hoc affatu compellem, ijsque tantiſper valedicam, donec nos omnes lætiſſimus DOMINI dies congregatos conjunxerit. Non vero tumulum floribus coronabo, neque dulciſſimo Bacchi liquore illud aſpergam, ſed genuinum demortui elogium verbo includam, ne vel ille, ſub cavata terræ mole, vel nimium gravetur, vel ego, ab ullo aliquo hominum aſſignati eidem, ſupra & præter meritum, encomij arguar:

HIC SITUS URBIS HONOR! PECCAVI; IGNOSCITE MANES!
HIC SITUS URBIS AMOR! DICERE DEBUERAM.
SED QVID DISJUNGO, FUERUNT QVÆ JUNCTA VICISSIM?
ET FUIT URBIS HONOR, QVI FUIT URBIS AMOR!

MICHAEL RENNERVS,
Thorunio-Boruſſus.

OCcasum PRUSSI flerem, nisi flere vetaret
HEROIS potior pars, superesse mihi
Qua cunctisq; potest, qui nunc sunt, quiq; futuri,
Dum mundo interitum conferet una dies!

Johannes Wedemeyer/
Thorun. B.

Ad honoratissimos dilectissimosq; parentes, præmaturum
Magnifici Dni. Patrui obitum nimiopere plangentes:

CHare parens, semperque mihi dulcissima mater,
Ne, quæso, vos tangat dolor,
Numinis ad jussum, terras quod liquerit urbis
Nosterque communis pater!
Namq; ovat in cælis, ubi nos jungemur eidem,
Post calamitosos hos dies!

Johannes Austen/
Jun.